

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

XXXVIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

stræ religionis continentes, qui Græci fuerunt à suis auctoribus scripti, cur non credamus, sanctius, gravius, & incorruptius asservatos esse in scriniis ac in bibliothecis Ecclesiæ Romanæ, quæ caput est Christianorum & semper fuit norma Catholicæ pietatis, quam in Græcia, quæ sæpè fuit hæreticorum & levissimorum hominum fraudibus & motu rerum novarum agitata: quod accidisse certum est in LXX. decreta Concilii Nicæni, quæ cum integra in scriniis ecclesiæ Romanæ asservarentur, tamen ad orientem in quibusdam ecclesiis ab hæreticis incensa sunt, in aliis ad minorem numerum redacta, sublatis videlicet, quæ ipsorum consiliis aut conatibus obstitura videbantur, ut Athanasius & ceteri Episcopi ex Alexandrina Synodo in epistola ad Marcum Papam conquerruntur, à quo exemplum decretorum ipsorum, quod petebant, receperunt. Adde quod libri tutiores ab injuriis esse solent, & minus à sciolis scholia sæpè cum scripturis confundentibus viciari, ubi à paucioribus vel leguntur vel intelliguntur, nisi forte hoc dicis placuisse in sædere, ut dictio Græca emendaretur ad latinam, quod nec est probabile, præterquam in certo aliquo loco, & nunquam factum fuisse certum habeo. Nam articulum, quem citas ex aurea bulla, licet duas aureas bullas in libro Conciliorum perlegerim, invenire nunquam potui, quam igitur dicas & unde à nobis petenda sit, obsecro te ne graveris, ad nos perscribere. Vale. Rómæ, Decimo Cal. Junii, anno à Christo nato M D XXXIII.

Tui studiosissimus

Jo. Genesis Sepulvedas.



XXXVIII.

Vives D. Erasmo, Præceptoris suo S.

Raro admodum ad me scribis, sed cum considero & molem & varietatem earum rerum, quæ in tam exactam penè ætatem & affectam valetudinem incumbunt, non solum te apud animum meum excusò, sed vehementer laudo, quod illos potissimum in dandis literis, prætereas, quos scis tibi esse amicissimos, nec epusmodi descriptionum officia morari, minus satisfactum sibi abunde arbitrentur, amore erga se tuo, quem ex suo ipsorum in te colligunt. Quia & hoc nomine habeo & ago tibi gratias, quod me inter præcipuos tuos habes. Nam, crede mihi, non aliter silentium istud tuum interpretor. Itaque respondebis, cum licebit tibi, cum voles. Hoc tantum te precor, ut in literis, quas vel ad Goclenium vel ad Petrum Ægidium scri-

scribis, alterutri eorum injungas, ut de salute & statu rerum tuarum duobus verbis significant, quæ ex iis, quæ tu ad ipsos scribis, videbuntur dicenda. Ex Hispania scripsit ad me Viruesius quidam Benedictinus, homo mihi antea ne auditus quidem, sed ut ex fama & multorum sermonibus intellexi, benè doctus ac pius, tuique tam studiosus, quam qui maximè, misit mihi acta diei unius apud inquisitorem fidei, ejus epistolam & ea ipsa acta curavi tibi in latinum transferenda à meis amanuensisibus. Adjeci quoque Epistolam, quam Maldonatus latine scripsit, cuidam Oforio de congressu Viruesii & Victoriani, tute ex ipsis epistolis omnia cognosces. Est huic Victoriano frater germanus, sed dissimilis admodum Franciscus à Victoria, itidem Dominicanus, Parisiensis Theologus, homo maximi nominis ac fidei apud suos, quiq; non semel causam tuam defendit frequenti Theologorum collegio Lutetiæ, est in illis *φλογελας* exercitatissimus, bonas literas attigit feliciter jam inde à puero: admiratur te ac adorat, sed ingenio est ut acutissimo sic etiam quieto, remisso quoque non nihil; alioqui cõhibuisset hic fratrem latius effundentem se, quam par erat. Et multa potuissent per hunc in Hispania transigi super his rebus, auctoritate & opinione summæ eruditionis, qua valet apud sodales suos & plerosque popularium. Nec dubito, quin ei conventui, de quo Viruesius scribit, qui erat futurus postridie adscensionis, adfuerit hic Franciscus Victorianus; nam profitetur Salmanticæ in ea cathedra, quam illi primam vocant, stipendio haud sanè parvo, minus multo addubito, quin nominati fuerint Ludovicus Coronellus & Lerma Abbas Complutensis, fortassis etiam Vergara, qui mihi optimam spem præbent, futuram tuam causam, hoc est, literarum & pietatis, superiorem. Sunt enim viri illi integerrimi bonæque eruditioni favent unicè & eo nomine tibi amicissimi. Maximum momentum adferent, quocunque inclinent, nam reliqua turba quid erit ad hos? etiamsi omnes unam in lancem componantur, illi tamen prægravabunt. Consentiant modo pro causa tua, ut consensuros pro certo habeo. Existimo, tumultus hos ex Enchiridio tuo verso natos esse. Nam si id frequens sit in hominem manibus, ut esse audio, *multum* *παραλογίζεσθαι* & *detrahet* fratribus; & fortassis jam coeptum est fieri, videlicet excitatis eâ lectione multorum animis ad cognitionem magnarum & pulcherrimarum rerum, quæ tamdiu fuerant occultate, tum etiam quod coepit permultos pigere indignissima servitutis, qua quidam hætenus præferunt miseram plebem, quæ servitus cum ubique, quacunq; Christianum nomen patet, gravissima est, tum vero in nostra natione ne servus quidem aut asinus tolerabilis. Id fratres non ferendum rati, sed de facti rō dignitatis, opum, ditioris, & tantarum fortunarum unius libelli lectione detrahi, impetum in autorem fecerunt. Sed morbus est avaritia atque ambitione gravis, diuturnitate confirmatus, medicina quoque, ut convenit, violenta, nunc exerit vires suas & fit pugna, sicut medici dicunt, morbi ac naturæ. Nunquam meliorem habui spem, futurum, ut Hispania nostra te cognoscat & intelligat. Ex similibus tumultibus ac dissidiis eluctatæ sunt semper res amplissimæ ad magnitudinem illam & summum splendorem. Sic literæ in Gallia &

Germania. Et spero Christum aliquando tandem excitatum iri & miseratum miserabilem suum gregem, ne semper cæcus & viæ ignarus erret, raptatus per mille præcipitia ab iis, quibus se commiserat ducendum. *Κάθιστο παρθε- κη ὁ χριστός τοῖς ἡμῖνοις χεῖνις καρδίᾳ ἔ τῆτο ποιῶν τῆς ἑ αὐτοκράτορος ῥίνας πτωχῶν καὶ ἀρχιερέων ἑ αρχιερέων. Ἐγὼ δὲ ὡς ἴθλομαι, ἵνα πρὸς τοῖς ἰσχυρῶν ἀρχιερέων τοῖς μὲν τοῖς ἰσχυρῶν γράφω ἐπὶ τῆ σὺ ἴδια καὶ πρὸς τοῖς αὐτοκράτορα ἐπὶ τῆ ποιῶ ἡ δημοσία.* Sed hæc & alia ejusmodi tute ipse melius statues. Quæso te, si futurum est, ut rursus civitas mea excudatur, quemadmodum accepi à Francisco homine veracissimo, fac me certiore, ut quædam loca mutem in meis commentariis: alia addam, tametsi pauca. Ex Britannia redii sub finem mensis Maji, eodem reversurus ante Calend. Octobr. Christo secundo. Vale mi Præceptor, Brugis, XIII. Junii, 1527.

L. V.



XXXIX.

Excellentissimo Theologia Professore D. Erasmo Roterdamo, Præceptoris meo colendo.

Audita nunc Ludovici Vivis ad juventutem in oratione, commodum in ipsorum Scholarum egressu reperio meum Goclenium, qui se mane diluculo nuncium aliquem certum ad ERASMUM dicit missurum, & rogat, quandoquidem multo jam tempore nihil ad te scripseram, vel breviusculum ad te dem epistolium, animi in te mei indicativum. Id quod e vestigio maxima cum animi mei voluptate feci. Quid enim mihi dulcius, quam obiter manu & corde salutare eum absentem, quem præsentem tantum non numinis vice colerem? Atque utinam mea salutatione incolumitatem tibi ab omnipotenti DEO queam impetrare: utinam tuam juventutem in omnem profectum possem revocare. At quoniam id non possum, id me velle æquum est, quod potest fieri, nimirum ut Dominus JESUS diu te servet Ecclesiæ suæ incolumem, Scripsissem paulo prolixius, nisi alio me vocassent occupationes domesticæ, Unum tamen illud non possum prætermittere, fuisse quendam Prædicatorem Eustachium, qui in scholis theologicis die Martis proximo, dum laurea corona theologica M. Petrus Curtius donaretur, ridicula incultissimaque oratione, me quoque in frequentia illa audiente linguas hostilissime est profecturus, quas tu multa cum gloria bene fortunantibus superis in tuto propemodum collocaisti. Malè pereant (propemodum dixeram) insulsißimi asini, incognitas res tantoperè vituperan-

166-